



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

**Puente, Luis de la
Coloniae Agrippinae, 1616**

Pvinctvm II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42916

conseruanda primū magni huius Dei serui memoria.

PUNCTVM II.

DE B E T secundo hæc memoria excitari à lingua & verbis, quibus de eo, quem memoria retinere volumus, sermonem habemus: *In omni, inquit, ore quasi mel dulcabitur eius memoria:* quasi dixerit: quemadmodum mel sapit, estque gustatui non deprauato dulcissimum: ita colloqui de viro iusto, eiusque virtutibus reddere debet eius memoriam dulcissimam. & re ipsa experientia hoc docuit, postquam seruus hic Dei mortuus est. nam omnibus, qui illum nouerunt, & cum eo egerunt, cum sermo de illo incidit, memoriam adeò dulcem, suauem, & utilem in eis renouauit: vt efficacia excitauerit desideria magis seruiendi Deo, ei que placendi; & euadendi in viros orationis & mortificationis; ac procurandi, vt Deus adoretur, agnoscat, ei que seruiatur: quemadmodum ipse Pater, cum eisdem agens, efficere conabatur: idque adeò serui, vt quamuis de illo tanquam iam defuncto colloquium non potuerit non adferre colloquentibus sensum ac dolorem magnum: memoria tamen eius affectum prædictum dulcem & utilem effecit, & in posterum adhuc efficiet amplius. Cum Dauid loqueretur de Ionatha, magno amico suo: verbis & rationibus, quas adferebat, memoriam suam excitabat: quem cum mortuum intellexit, magnum ei sensum, desolationem, & lacrymas adferebat, dicebatque: *d Doleo super te, d 2. Reg. 1. frater mi Ionatha, decore nimis, & amabilis super 26.*

amō-

amorem mulierum: sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam. simul verò eadem memoria dilecti amici sui, dulcedinem & suauitatem ipsi adferebat, recordanti insignium eius virtutum, & optantibus eas imitari; & ita dicebat: *sagitta Ionathæ nunquam redijt retrorsum, &c.* Et quod ad rem nostram spectat, meritò memoria nostra efficiet, ut ita de bono P. Balthassare Aluário sentiamus: cui etiam ipsum Ionathæ nomen, eiusque gesta aptè conueniunt. Nomen quidem: quia Ionathas hebraicè nobis significat Dei datum, Dei donum. Quia verè fuit vir iste donum Dei, & à Deo datum in remedium, instructionem, & solatium multorum; à Deo datum in magnum huius Prouinciæ bonum. eiusdem quoque Ionathæ egregia facinora ei conueniunt, si enim meministis, Ionathas fuit ille, qui Philistæorum agmini imperterritum ostendens vultum, & volens eos ex confinibus terræ illius Dei repellere, cum reliqui exercitus Israel sine vlla cura requiescerent, exijt ipse cum solo suo armigero, & *manibus ac pedibus reptans ascendit ad hostes suos per prærupta, petrarum, & ita eos inuasit ut omnes disturbaret: ita igitur magnus hic Dei seruus quoties in campum exijt, ut cum dæmonibus pugnaret, ut quos sibi commissos à Deo habebat defenderet, ne hostes illis nocerent? quorū difficultatibus & laboribus in hac causa sese exposuit: cum illi, quorum curam ipse gerebat, sine cura & solitudine requiescerent, hoc faciebat, cum multò post alios cubitum se conferret; citiùs verò quàm illi surgeret, ut Orationem suam haberet, se ipsum verberaret, & hac ratio-*

et. Reg 4.13.

ratione pro illis pugnaret. Media ipsa nocte sa-
pius surgebat, ut hos iniret conflictus, cum alij
profundo somno tenerentur: ne, quid ipse face-
ret, aduerteretur: licet tales eius erant ictus, ut
etiam dormientes excitaret, sicut ictus Ionathæ,
& pugna, quam fuit aggressus, excitauit pro-
prium exercitum dormitantem & requiescen-
tem. Apertè igitur ei competunt facta ipsa Ionathæ,
ac propterea etiam ad rem nostram pertinet; ut
dolentes, quod uiuentem Patrem nostrum amise-
rimus: dicamus cum Dauid: *doleo super te, frater
mi Ionatha*: sed simul solatium nobis & iucundi-
tatem adferat memoria eius virtutum, excitetque
eas imitandi desiderium, dicentibus: *sagitta Io-
natha nunquam redijt retrorsum*, quam enim sa-
gittam P. Balthassar est iaculatus, quæ retrorsum
rediret? sagittæ erant eius verba, & quidem sagit-
tæ acutæ, quæ corda traieciabant. Interrogate om-
nes, qui cum illo agebant, & præcipuè Illustres
Dominos & magnates, in quibus talis effectus ob
eorum grauitatem, & reuerentiam, qua cum illis
est agendum, erat difficilior? est autem res mira
quod si vel semel cum illis Pater loqueretur, sen-
tiebant se mutatos, & coram paupere Religioso
pendebant ab ore eius tanquam infantes. Quid
quæso erat exhortationes eius & conferentias
spirituales audire? immittebant sanè ignem; &
acutarum sagittarum instar videbantur ad intima
cordis penetrare. Accidit ei aliquando, ut ingres-
sus ad cuiusdam monasterij religiosos, breui tem-
pore cum illis agens, ita omnes permutaret, ut se-
riò desiderarent Deo se totos dedere, Exercitiâ
facere, & ipsum per duodecim dies apud se reti-
nere,

si

nere,

nere, vt ea illi traderet. Et hac ratione tantam opinionem & æstimationem virtutis suæ ac donorum à Deo acceptorum apud omnes, qui illum nouerant omnis generis personas, obtinuerat: vt stuporem adferret. Prælati eum venerabantur: & inter eos præclarus ille & excellens vir D. Franciscus Blancus apud S. Iacobum Archiepiscopus, qui quam de P. Balthassare opinionem & æstimationem haberet, & verbis & operibus ostendit: & nunc etiam superstitis sunt. D. Christophorus Vela Archiepiscopus Burgenfis, D. Teutonium Bergantius Archiepiscopus Eborensis, D. Santius Abulensis, Episcopus Cartagenæ: qui omnes sensum & opinionem suam de P. Balthassare manifestè aperuerunt. Magnates & personæ illustres eundem Patrem reuerabantur, dixisset hoc apertè Illustrissima illa Domina Christianarum Dominarum exemplar, Ducissa de Trias mater Comestabilis Castellæ, adhuc hodie superstitis, quæ tanta reuerentia P. Balthassarem Aluarium prosequabatur, vt in suis ad eum literis hanc poneret superscriptionem: Domino meo & Patri Magistro P. Balthassari Aluario Patri meo. Idem dixisset Dux Gandiæ, paulò ante defunctus, qui ad exhortationes & conferentias P. Balthassaris tanquam Nouitius aliquis accedebat; diceret etiam hoc D. Magdalena Vllloia, siquidem veneratio, quam erga hunc Dei seruum semper habuit, adeo viua in ipsa hætenus permanfit, vt propterea in animum induxerit, curare eius ossa ad hoc suum collegium deferri. Idem etiam diceret aliquis, qui propè est ipsi Regiæ Maiestati, & multi alij, quos longum esset referre. Personæ raræ virtutis &

eis & sanctitatis, quæ eiusdem Patris tempore in Hispania floruerunt, hanc etiam de P. Balthassare opinionem & existimationem habuerunt. Admirandus ille vir in Betica P. Magister Auila, licet P. Balthassarem nunquam vidisset, quod tamen per literas mutuas se noscerent, optimè de eo eiusque virtute sentiebat. Sancta illa mater Maria Diaria Abulensis, quæ rarò cum exaggeratione loquebatur; cum de donis celestibus P. Balthassari à Deo communicatis, deque excellenti eius virtute sermonem faciebat, non poterat absque magna exaggeratione de eis loqui. Et illustri illa adeoque iure optimo celebris mulier, quam Deus tanquam instrumentum adhibuit ad duplicem recollectionem virorum scilicet & mulierum instituendam, sancta, inquam, Mater Theresia de Iesu cum tanta exaggeratione loquebatur de P. Balthassare Aluário, ut audientibus stuporem adferret. Cuidam suæ Religiosæ, ipsam interroganti Salmanticæ, an existimaret ipsi expedire, agere cum P. Balthassare, tunc ibi existente; respondit illa: magni beneficii loco à Deo accipere deberes, quòd tibi liceret cum eo agere: est enim is, cui anima mea plurimum in hac vita debet, & qui me maximè adiuuit ad perfectionem. Viuit adhuc Salmanticæ Mater Anna de Iesu, quæ Monasterij illius fuit Priorissa, quæ testatur, se à Matre Theresia de Iesu audiuisse, quòd existimaret, P. Balthassarem Aluarium esse in altiori gradu, quàm tunc esset ullus homo in terra, &c.

PATRES Generales Societatis, qui eum noverunt boni sunt testes æstimationis ac venerationis, qua illum prosequabantur. Pater noster Fraciscus

St 2

Bor-

Borgius rari ipsius talenti ac Magisterij conscius, cupiebat eum Romæ manere, ut illius Tyrocinij ductor esset ac Magister: sed, ne hanc Castellanam Prouinciā contristarēt, illum ei restituit: sed constituit tamen, ut per sex menses maneret in Tyrocinio Metinensi, & sex alios in Villa-gartiensi: ut vtrunque rectē institueret. Pater noster Euerhardus constituens illum Toletanæ Prouinciæ Præpositum dixit P. Alphonso Montoio, illius Prouinciæ Procuratori hæc verba: optimum, quod pro vestra Prouincia habeo do, cum P. Balthasarem Aluarium vobis assigno. Longum denique esset referre, quanti omnes illum facerent. quod si huius rei causam quæras, illa præcipue fuit, Magisterium illud à Deo ipsi communicatum, ob verborum vim & efficacitatem: cum enim ipse adeo excelsè, quæ dicebat, in se ipso sentiret: quadam quasi violentia quodcunque dicebat, auditorum cordibus infigebatur. Bene igitur illi competit nomen & gesta Ionathæ; & quod noster de illo sermo dulcem in nobis renouet memoriā. Nec minus illi competit Illustri illius Ducis Abner memoria, principis Exercituum Israel, quam ipsemet Rex Dauid alijs verbis tum doloris teneris, tum prædulcibus, ac iu-cundis excitabat ac renouabat. Tenera verba ac dolorem adferentia erant, quod conuersus ad plebem diceret: *f Scindite vestimenta vestra; & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner. An ignoratis quoniam Princeps & maximus cecidit hodie in Israel? &c.* quæ verba verè erant excitantia memoriā quandam tristem ac dolentem, quam de morte Abner Rex tunc haberet, fed

f 2. Reg. 3.
31. 38.

sed neque oblitus est aliorum, quæ solatium ac iucunditatem adferunt: quare memor fortitudinis ac robusti eius pectoris accedens ad eius tumultum dixit: *nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner: manus tuae ligatae non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggrauati, &c.* Hanc igitur memoriam dico non minus aptè, quam præcedentem piè nostro defuncto competere. Primum, quod ei aptè conveniat nomen *Abner*, quod hebraicè significat *Patris lucernam*, magni inquam illius cæli Domini. Fuit enim P. Balthassar Alvarez verè lucerna, quam in Religionis Societatis Iesu candelabro positam voluit Deus præluce, in magnum plurimorum bonum, &c. benè illi convenit, quod magna fuerit, & nunc sit causa, iacturam hanc & mortem eius deplendi, eò quod in eo amiserimus præcipuum nostræ Religionis virum: non solum, quod talis fuerit in munijs, ac officijs quæ gessit; essetque in eo, quod re ipsa gerebat Præpositi scilicet Prouincialis, in quo vitam suam finiuit; sed nominatim ob excellentiam in virtute & Religione, quam ei Deus dederat: quare aptè ei competit, ut & tunc diceretur, & nunc de eodem dicatur: quoniam *Princeps & maximus cecidit in Israel.* Sed nec minus eidem competit id solatii, quod in alijs verbis ad nostram memoriam continetur: *nequaquam, ut mori solent ignavi, &c.* nam reuera ita est, quod P. Balthassar Aluarius nec vixit, nec mortuus est, tanquam ignavus aliquis. Non vixit quidem ut talis, si enim verum est, quod dixit Euripides: *nullus Euripides. ignavus in celebrem virum evasit;* & Sallustius: *Sallust in ignavia nemo immortalis factus est, &c.* Qui fuit bello Jugur.

vir adeò celebris in vita sua; qui immortalem ad-
eo sui memoriam posteris reliquit: quomodo di-
cemus, ignaum eum fuisse? imò adeò ab ignauia
fuit alienus, ut eius verba ad eā eliminanda, & ab
omnibus qui ea laborarent, & qui in via Dei non
progredierentur detestandam, tendere videren-
tur. Ex hoc enim verba illa sæpius ab ipso repeti-
ta profluxerunt; *ne quis ab excelsis filiorum Dei co-
gitationibus degeneret.* quæ, cum vnus ex eius Ty-
ronibus in sensu, quo ducēbantur, accepisset, cor-
diq̃ue suo infixisset: & postea in Brasiliam nauiga-
ret, essetq̃ue vnus ex quadraginta nostræ Societa-
tis Martyribus, qui in mari ab hæreticis Marty-
rium sunt passi: hisce boni sui Patris ac Magistri
verbis, quæ in corde suo perpetuò infixæ gerebat,
reliquos comites exhortabatur ad Martyrium a-
lacriter obeundum, dicens: *ne degeneremus ab ex-
celsis cogitationibus filiorum Dei.* Non igitur igna-
uus fuit P. Balthasar, sed potius ignauiam, graui-
ter increpauit: quemadmodum strenuus Dux Io-
sue, qui cum septem Tribus non accessissent ad
accipiendam possessionem terræ, quæ illis obtin-

Iosue 13. 3. *gebat, dixit eis: g. vsque quo marceitis ignauia, &
non intratis ad possidendam terram, quam Dominus
Deus Patrum vestrorum dedit vobis? quoties P.
Balthasar in suis Exhortationibus, & Conferen-
tijs mentionem hac de re, & præmio quod spera-
mus faciebat; de terra, inquam, illa viuorum; de
robusto pectore, & animo forti, quo difficultates
omnes sint peruincendæ: ut aditus ad eam pateat?
h. Matth. 11. 12. *quantam vim in verbis illis Saluatoris: h. Regnum
calorum vim patitur, & violenti rapiunt illud! &c.
nec vixit, nec mortuus est quasi ignauus aliquis:**

mor-

mortuus est, dum in suo Officio laboraret, consumptus & exhaustus, eò quòd semper vigilans fuerit tanquam strenuus Societatis miles, cum hasta in manu, bombardà in humeris, clypeo in brachio, lorica indutus, & galea ad caput imposita. Hoc dico: quòd cùm illud Officiũ adeò laboriosum fuerit superimpositum corpori adeò debilitato, sanitati imbecilli, ob longas vigilias, ieiunia, verberationes, cilicia, & continuam interiorem & exteriorem passionum, ac sensuum mortificationem, quò omnia in Officio adeò graui & laborioso ita continuabat, vt nihil remitteret: quare intra paucos menses fuit expeditus nequaquam vt mori solent ignaui. O verba solatiij plena! ò quàm dulcem talis Patris memoriam renouant!

PVNCTVM III.

TERTIO hæc talis Patris memoria excitanda in nobis est ex ijs, quæ ab alijs de eo dicẽ audiemus, sicue ipse Sapiens dixit, hoc tertio modo renouandum esse in populo hebræo memoriam Iosifæ Regis: id enim verba illa vltima insinuant: *vt musica in conuiuio vini*: quæ est etiam pulcherrima Metaphora. quasi diceret: quemadmodum in splendido aliquo conuiuio, etiam si intentum valde sit palatum comedentium ad ciborum saporem: eosdem tamen excitat trahit quæ ad se dulcissima ac suauissima Musica: ita vt simul cibus sit palato saporosus & gratus; auribus verò musica dulcis ac iucunda: ita Sapiens volebat, vt Iosifæ memoria populum illum ad eundem cogitandum adduceret, vt sermonem de eo audire, illi esset, quasi suauissimam audiret musicam, dum

St 4

in con-